



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 17. Hugonottarum Legatio ad Regem decreta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

regiis Deputatis facta restringebatur. Sæcul. XVI.  
A.C. 1598.  
 V. Hugonottæ suæ hæresis libros præterquam in locis, ubi liber sectæ suæ usus viget, nec typis edant, ne publice vænum exponant, illi autem libri edendi a regiis Ministris, & Theologis recognoscantur. Hi erant præcipui hujus Edicti articuli, reliqui vero potissimum iustitiæ administrationem concernebant,

§. XVII.

*Hugonottarum Legatio ad Regem decreta.*

**H**is ita sancitis Calvinistarum Deputati Nanneto ovantes profecti edictum ad Castrum-Eraldi deferebant, unacum bino Regis diplomate, quorum primo Rex spurix Reformationis Sectatoribus, ut urbes, & loca hucusque occupata per octo annos retinere possent, indulgebat, eisque centum octoginta aureorum millia quotannis pro alendis urbium præsidariis suppeditare pollicebatur: altero autem diplomate idem Rex annue pro Præconum sustentatione quadraginta quinque aureorum millia spondebat, ea tamen lege, ut decimas catholicis Parochis, ceterisque, quibus decimas percipiendi ius competit, solvant. Recepto hoc edicto, & utroque diplomate Hugonottæ Castri-Eraldi congregati decernebant, ut altera die pro tam luculento bene-

*Daniel l. 6.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1598.

beneficio per solemnem Legationem gratas Regi rependerentur. Verum quavis Rex hoc edictum Protestantibus adeo proficuum executioni mandari iussisset, hancque in rem in omnes Provincias suos Deputatos ablegasset, nihilominus Hugonottæ non contenti, quod per summam violentiam, atque importunitatem iniquissimo modo hoc edictum extorsissent, insuper adeo se ingratos erga Regem exhibebant, ut sæpius pacta hoc edicto sancita violarent, atque evolutis octo annorum spatio urbes legitimo Principi restituere recusarent: unde res solo hoc ex capite promeriti sunt, ut progressu temporis Ludovicus XIV. Franciæ Rex hoc edictum aboleret.

§. XVIII.

*Hoc edictum a Curis acceptatum, promulgatumque.*

*Hist. de l'Edit. de Nantes l. 8.*

Enimvero adversus hoc edictum Catholicæ Religioni adeo nocivum summus Pontifex reclamabat, intimumque animi sui dolorem apud Rhedonensem Episcopum testabatur: ipse etiam Cardinalis Papæ Legatus desuper vehementer querebatur, nec minus etiam Senatus, Clerus, Universitatis Rector, totumque Sorbonnæ Collegium in apertas erumpebant indignationes; nec deerant Prædicatores, atque inter illos præcipue Pater